

**1989-06-15 – SS Ioannes Paulus II – Epistula ‘Iuxta Te Ibi Hodie’**

**IOANNES PAULUS PP. II**

***EPISTULA DATA  
FRANCISCO S.R.E. CARDINALI TOMÁŠEK ARCHIEPISCOPO PRAGENSI***

*Venerabili Fratri Nostro  
Francisco S.R.E. Cardinali Tomášek  
Archiepiscopo Pragensi*

IUXTA TE IBI HODIE consistimus Nos, Venerabilis Frater Noster. Te quasi vere praesentes amplexamur. Ad altare Domini in cathedrali tuo Sancti Viti templo tecum coniungimur et quam benevolentissime consociamur simul cum reliquis in Episcopatu orbis Fratribus ut venerandum maxime natalem tuum nonagesimum diem festive concelebremus eodemque tempore te ipsum, virum Dei Ecclesiae columen, Evangelii testem vindicem fidei, propalam coram Populo Dei tuoque ipso amatissimo grege conlaudemus.

Etenim quae omnia adhuc sacerdos atque episcopus perfecisti, interdum et constanter pertulisti, ante oculos hodie praesertim versantur tuumque multiplex operis sacri curriculum illustrantia admirationem tibi communem laudemque fervidam merentur. Scripta nempe catechetica tua celebrantur et ministeria passim in paroeciis; episcopatus tuus dolore et exsilio, humilitate et triumpho insignis extollitur; impavida denique iurium Ecclesiae et hominum ipsorum defensio studiose praedicatur a praesentibus illic tecum Nobisque etiam hoc modo participibus.

Utinam haec Nostri tecum coniunctio, haec vitae actusae tuae et fructusae commemoratio, haec diurni tui ministerii aestimatio ac virtutum tuarum tam sacerdotalium quam humanarum praedicatio meritissimam tibi a Divino ipso pastorum bonorum Remuneratore affatim impetrat consolationem animi, die anniversarii tui laetationem atque venturi pariter temporis confirmationem.

Quem ad modum igitur totiens hic adstantem te admirati complexique sumus, ita profecto haud minus hodie benigne, quin ex animo magis, te consulatamus vehementer singularem hunc vitae tuae eventum ac Benedictionem Nostram Apostolicam propriis veluti manibus imponentes.

*Ex Aedibus Vaticanis die XV mensis Iunii, festiva Sancti Viti Martyris in sollemnitate, anno MCMLXXXIX Pontificatus Nostri undecimo.*

**IOANNES PAULUS PP. II**